


Epiniciūm
LVDOVICO
FRANCORVM REGI
Christianissimo,

*Ob receptam Rupellam, repulsamq; An-
glorum classē.*


IOANNIS BAPTISTAE DONI

Tertia editio auctior versione odæ Pindaricæ.



ROMAE Typis Vaticanis MDC.XXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.



P R Æ F A T I O
 I N A C A D E M I A
 H V M O R I S T A R V M

habita ante recitationem Ode, XVI: Kal Ian.



VINTVS agitur annus, Patres Am-
 plissimi, cæteriꝫ; Auditores ornatif-
 simi, cum ex hoc loco S. D. N. diui-
 nam planè electionem, laudesꝫ; exi-
 mias elegis decantans, comiter be-
 nigneꝫ; , nec sine aliqua eorum qui
 adfuerunt approbatione, auditus sum. Ab eo tempo-
 re spectator aliorum, quam proprij vllius operis actor
 esse malui. nam etsi hoc interuallo non planè à littera-
 rum cultura feriatu fuerim, (quantum scilicet præses
 vitæ conditio, atque itinera siuerunt) eiusmodi tamen
 studia & scriptiones præ manibus habui, quæ propter
 longam molitionem, non modo ab instituto meo alie-
 na videri possunt; sed etiam talia sunt, vt non facilè eo-
 rum specimen vobis aliquando exhibere, Academici
 doctissimi, potuerim. Quod cum ob alias causas, tum
 maximè ad auertendam desidiaꝫ; atque inertiaꝫ; notam,
 à qua semper abhorruï, faciendum mihi fuisse intelli-
 go. Nunc verò cum summo præpotentis Dei benefi-
 cio, Regisꝫ; verè Christianissimi virtute, tam insignis

Christianæ Republicæ vniuersa, non modo vnico Re-
 gno, felicitas contigerit, quæ merito poetarû animos,
 atque ingenia pulcherrimo argumêto accendit; æquû
 esse censui longum hoc silentium tandem abrumpere,
 atque inter eosdem poetas profiteri. Deterrebat me
 quidem, vt verum fatear, à tam præclari operis tracta-
 tione, amplitudo ipsius, rerumq; copia, in qua diffici-
 lius est exitum quam initium reperire: deinde exigua
 mea facultas, nullis prope doctrinæ, facundiæ, exerci-
 tationis subnixâ præsijs; animum tamen ad aliquid
 tentandum hoc vel maximè addidit, quod anno supe-
 riori experimento deprehendi, cum Excellentissimi
 Principis nuptias infueto mihi poematis genere cele-
 brandas suscepi, nullum esse firmiter subsidium, nul-
 lum præsentio rem entusiasmû pangentibus carmen,
 quam lætitiâ, et que alacritatem ex rebus secundis
 conceptam; Principum illorum potissimè, quos pecu-
 liari quis deuotionis affectu, veraq; obseruantia profe-
 quatur. vt etiam si maximè illi desint secessus, otium,
 ac tranquillitas mētis; præterea luci, nemora, placideq;
 manantium aquarum susurri, quæ tã opere poetæ cõ-
 cupiscunt; at tamen si præter illum mentis ardorè, sese
 ipsum excitet, viresq; à Deo ac natura insitas gnauiter
 impendat, non sit ei penitus de perennitate & gratia
 suorum carminum desperandum. Quid porro iustius,
 magisq; consentaneum quam pocsin, rem diuinam
 scilicet, diuinisq; operibus prædicandis vel excogita-
 tam primum, vel vsurpatam, huic Rupellensi Victoriæ
 celebrandæ dicere in qua religio ac pietas maximi Re-

gis cū alijs eiusdem præstantissimis virtutibus sic certarunt, vt potiores partes sine dubio sibi vendicent? & in qua etiam tam præsens, ac manifestum diuinum numé adfuisse cōstat, vt verè dicere possimus, pugnas se quidem Ludouicum, Deum autem vicisse. Satis id verò docent tot classium Anglicarū naufragia Gallicis appulsa litoribus: vt quibus multitudine nauium, quæ maria terrasq; coniecturæ videbantur, terrorem, calamitatem, atque exitium iniquissimè intentabant, eadem loca sua ipsarum clade ac trophæis vice versa cooperirent. Nam de immenso illo aggere in medio freti ad obstruendum portus ingressum inexhaustis laboribus ac sumptibus inædificato quid attinet dicere? qui me dubium animi tenet, magis ne florentissimi illius regni potētiam tam arduo opere absoluto ostēderit; an quod tam diu vchen^{tu}ssimis in eo tractu fluctibus Oceani, ringentibus ac mirantibus ^{obscuro}, obstiterit, peculiarem cælestiū fauorem clarius significarit. Ecquam porro illustriorem victoriam vel recens hominis memoria, vel vetusta fides annalium exhibet? cum in hac certè tam multa mira, atque inaudita contigerint, vt vix alibi pulchriorem, atq; vberiore materiam reperturi sint omnis generis scriptores, in qua certatim insudent. Nam siue hostium potentia atque audacia æstimator; pugnacissima gens, regniq; opulētissimi viribus subnixā, deuicta est: siue eorumdem pertinacia perpenditur; ad prodigiū & miraculum vsque pertinacissima: vt quæ famem aspernam perpeti prius, miserimoq; genere mortis maiori

ex parte absumi voluerit, quam cedere ac manus dare. si longitudo obsidionis quæritur; quindecim prope mensium spatio Rex in ipso flore ætatis, cum exercitu nobilitatis refertissimo; gètéq; pugnandi auidissima, tolerantia ac patientia singulare præbuit documentum. quod in Gallica præsertim natione, nemo non magis quam quæuis audaciæ & fortitudinis exempla mirabitur. si casus, operaq; rara atque admiranda expectantur; renouata vetustæ potentia miracula. contabulacum nauigijs mare, ipsiusque Xerxis *πολυδρόμητον* illum pontem superatum reperiemus. Quod si quis hanc Victoriam eò minus gloriosam, atque illustrem putat, quod paruo sanguine constitit; non modo ille mecum & cum cordatis omnibus non sentit: sed longè etiam à recta ratione aberrat. nam nec solùm pulchrius est ita vincere, ^{quàm} victis parcendo, eos iterum, *si scilicet possit*, superare possis: sed præterea lucrosior illa aquisitio censi debet, quæ minori dispendio atque iactura facta est: aduersus ciues præsertim, quantumuis malos, quantumuis impios. cum illos ad bonam frugem cogere præstet, quam perdendo membra regni debilitare atque infringere. Quid quod huiusmodi victorias (quod fecus est in cruentis) totas ferè Duces, atq; Reges meritò imputat sibi: nec sanè multum ex ijs sibi arrogare militum virtus, aut fortuna vis ac potestas queunt. Ex quo existimari poterit quanta laus, quanta gloria inuictissimo Regi debeatur: quantumque fuerit Rupellam quoquo modo cepisse. Magnam sine dubio fuisse urbem totius Gallia munitissimam

mam ; incolis, externisq; militibus pugnacissimis pro-
 bè instructam; opibus, armis, omniq; genere telorum,
 ac tormentorum refertissimam, oppugnando capere,
 (quod sine maxima lectissimorum militum strage fieri
 tamen non poterat:) magnum, inquam, Rupellam
 aperta vi expugnare: de qua Henricus Magnus, peri-
 tissimus rei militaris, longoq; vsu exercitatissimus dux,
 dicere solebat, celerius se orbis terrarum imperium
 occupaturum, quam illius per vim potiturum. sed ta-
 men longè maius, atque admirabilius urbem mariti-
 mam, tutissimo portu præditam; bellicosissimæ gentis
 auxilijs confirmatâ; regni proculdubio *δυναστευαίης* va-
 lidissima classe fidentem; eaq; inspectante, frustra q; ir-
 rumpere conante, ad deditionem veniamq; compu-
 lisse. Qua in re quid prius, quidq; posterius eloquar? pa-
 tientiam ne Regis atque colonus *αὐτῆς*, qui tantam
 temporis procul ab aula regiaq; commotis *ἀπο-*
 tentoria, signaq; militaria, frigora atque ætus, cete-
 rasq; cæli temporumq; aduersitates, castrorumq; in-
 commoda pertulerit? an ipsius in stationibus capien-
 dis, vallis fossisq; designandis, castellisq; vbi cumque
 opus exigeret collocandis, alijsq; operibus admini-
 strandis, solertiam atque iudicium acerrimum? an
 eius potius summam pietatem ac religionem? qui ni-
 hil antiquius habuerit, quam assertam in suam pote-
 statem urbem Deo statim restituere, atque illi Deum:
 reuocatis nempe post longam annorum intercapedi-
 nem orthodoxæ fidei mysterijs, ac pridem exulantibus
 sacris. an denique eiusdem incredibilem clementiâ, &
 man-

ex parte absumi voluerit, quam cedere ac manus dare.
 si longitudo obsidionis quaeritur; quindecim prope
 mensium spatio Rex in ipso flore ætatis, cum exercitu
 nobilitatis refertissimo; gæteq; pugnandi avidissima,
 tolerantiae ac patientiae singulare præbuit documen-
 tum. quod in Gallica præsertim natione, nemo non ma-
 gis quam quæuis audaciæ & fortitudinis exempla mi-
 rabitur. si casus, operaq; rara atque admiranda expe-
 tuntur; renouata vetustæ potentiae miracula. contabu-
 latum nauigijs mare, ipsiusque Xerxis πολυδρόμῳ illum
 pontem superatum reperiemus. Quod si quis
 hanc Victoriam eò minus gloriosam, atque illustrem
 putat, quod paruo sanguine constitit; non modo ille
 mecum & cum cordatis omnibus non sentit: sed lon-
 gè etiam à recta ratione aberrat. nam nec solum pul-
 chrius est ita vincere, victis parcendo, eos iterum,
 si usus veniat, superare possis: sed præterea lucrosior
 illa aquisitione censeri debet, quæ minori dispendio at-
 que iactura facta est: aduersus ciues præsertim, quan-
 tumuis malos, quantumuis impios. cum illos ad bo-
 nâ frugem cogere præstet, quam perdendo membra
 regni debilitare atque infringere. Quid quod huius-
 modi victorias (quod secus est in cruentis) totas ferè
 Duces, atq; Reges meritò imputant sibi: nec sanè mul-
 tum ex ijs sibi arrogare militum virtus, aut fortunæ vis
 ac potestas queunt. Ex quo existimari poterit quan-
 ta laus, quanta gloria inuictissimo Regi debeatur: qua-
 tumque fuerit Rupellam quoquo modo cepisse. Ma-
 gnam sine dubio fuisset urbē totius Galliae munitissi-

mam ; incolis, externisq; militibus pugnacissimis pro-
 bè instructam; opibus, armis, omniq; genere telorum,
 ac tormentorum refertissimam, oppugnando capere,
 (quod sine maxima lectissimorum militum strage fieri
 tamen non poterat:) magnum, inquam, Rupellam
 aperta vi expugnare: de qua Henricus Magnus, peri-
 tissimus rei militaris, longoq; vsu exercitatissimus dux,
 dicere solebat, celerius se orbis terrarum imperium
 occupaturum, quam illius per vim potiturum. sed ta-
 men longè maius, atque admirabilius urbem mariti-
 mam, tutissimo portu præditam; bellicosissima gentis
 auxilijs confirmatã; regni proculdubio *Συλασσηνικῆς*, va-
 lidissima classe fidentem; eaq; inspectante, frustra q; ir-
 rumpere conante, ad deditiorem veniamq; compu-
 lisse. Qua in re quid prius, quid ~~posterior~~ posteriorius eloquar? pa-
 tientiam ne Regis atque *Κωνσταντίνου*, qui tantam
 temporis procul ab aula regisq; commotis *ἰσχυρῶς*
 tentoria, signaq; militaria, frigora atque ætus, cete-
 rasq; cæli temporumq; aduersitates, castrorumq; in-
 commodas pertulerit? an ipsius in stationibus capien-
 dis, vallis fossisq; designandis, castellisq; ubicumque
 opus exigeret collocandis, alijsq; operibus admini-
 strandis, solertiam atque iudicium acerrimum? an
 eius potius summam pietatem ac religionem? qui ni-
 hil antiquius habuerit, quam assertam in suam pote-
 statem urbem Deo statim restituere, atque illi Deum:
 reuocatis nempe post longam annorum intercapedi-
 nem orthodoxæ fidei mysterijs, ac pridem exulantibus
 sacris. an denique eiusdem incredibilem clementiã, &
 man-

māfuetudinem? qui cum iure belli s̄uire potuisset in
 victos, ac s̄ape rebellantes; tamen quid se deceret, nō
 quid illorum perfidia mereretur, intuitus veniam ijs,
 quam vix optare auderent, gratuito dedit. vt planè nō
 minus se promptum, facilem q; ad ignoscendum, quā
 ad persequendum acrem, rigidum q; ostenderit. O sin-
 gularem Regis inuictissimi bonitatē! O factum æter-
 na memoria dignissimum; atq; omni genere scripto-
 rum commemorandum! Sed quoniam audio nonnul-
 los huius magnitudinem Victoriæ, communem q; vti-
 litatem vel ob imperitiam non satis percipere, vel ob
 malignitatem atque inuidiam carpere, ac deterere co-
 nari; sciant non de vnus oppidi recuperatione, vt ipsi
 iactant, tantam agilitatiam & celebritatē hac in vr-
 be, quam Orbis terre, sacrarium, Religionis arcem,
 Ecclesiæ q; carissimam, cupimus; sed iustum ac me-
 ritissimum triumphum, expugnata illa arce erroris at-
 que impietatis, de teterrimæ sectæ viribus accisis, ac
 funditus penè prostratis actitari, atq; ob id sapiētissi-
 mē omnino, vt cætera omnia, à S. D. N. publicas sup-
 plicationer in crastinum diem indictas. Quis enim
 ignorat, inter omnes perniciosarum hæreseon sectas,
 quæ miserrimis hisce temporibus extiterunt, nullam
 esse cum Calviniana, vel dogmatum pestilētia, vel fu-
 rore ac rabie, atque in hanc Sanctam Sedem implaca-
 bili odio conferendam? quis verò nescit hanc hæresin,
 vt in Gallia natam atque educatam, sic eius affectas ac
 propagatores, qui in eo Regno resederunt, nequiores
 cæteris, scelestiores q; s̄per fuisse? vt planè illud, quod
 dici

dici vulgo solet, compertum sit verissimum, ut quodq;
 optimum in suo genere est, ita si in contrarium vertatur,
 quam deterrimum fieri. Testantur id satis, ut nefaria eorum scripta, bellaq;
 acerbissima missa faciam, tot sumtuosissima atque antiquissima templa sacrilegopforum
 furore, manibusq;
 audacissimis, per summum nefas atque barbariem,
 inflammata atque eversa; quorum semiustos parietes,
 miseribilesq;
 ruinas non sine lacrymis aspexi. Quis item dubitat quin Galliae Caluiniani,
 non modo reliquis ceteriores, infestioresq;
 huic vrbis; sed etiam ob ingeritam nationi ferociam, bellandiq;
 cupiditatem; & (quod magni refert) Italiae propinquitatem,
 ceteris omnibus perniciosiores, ac terribiliores sint? Iam vero hoc minimè controuersum est,
 factionis illius ac sectae praecipuam quandam arcem ac sedem
 Rupellam fuisse. Et in cuius retentione, ob status commoditatem,
 munitionumq;
 firmitatem, omnem suam spem fiduciamq;
 collocarint. demum Rupella erat,
 quae illis animum ac pertinaciam addebat. de hac nimium quantum gloriabantur. ea salua vix
 caelum ac tartara pertimescebat. Rupella regnum Galliae
 quietum esse non sinebat. Rupella factiosum quemque
 à dynastis ac proceribus obuijs vrbis excipiebat. Rupella
 denique omnium rebellionum, civiliumq;
 dissidiorum fomes, atque asylum iure censebatur. Ea nunc
 recepta ac debellata, quis non videret esse non posse quin
 reliqua paucula oppida, quae mitissimum regiae potestatis iugum
 detrectant, breui respiciant, ac deuotionem faciant. Quod cum erit
 factum (nec longe esse auguror) tunc nimirum tam propin-

quorum, ac pestiferorum hostium cessabit metus: re-
 gnumq; illud augustissimū, quod huius Sanctæ Sedis,
 Maximorumq; Pontificum inturbidis aduersisq; rebus:
 certissimum perfugium fuit; tranquillum erit ac tutū;
 nullisq; internis malis, nullis dissidijs distractum ac de-
 bilitatum, rem Christianam communemq; pacem fe-
 licius promouebit. Videtis igitur quanti ab omnibus
 veris Catholicis æstimari debeat hæc Victoria: & quā
 benignam, copiosamq; rerum pulcherrimarum sege-
 tem præbeat ingenijs. Quid igitur pulchrius quam
 tam splendido, luculentq; argumēto manum admo-
 liri? quid iustius quam Regi potentissimo ac maximo
 meam erga ipsum summiā venerationem, cultumq;
 eximium, quacūque ratione possum, hoc tali tempore
 testari? quid oportunius quam insitam mihi in nobi-
 lissimam gentem (quam plurimas ob causas semper di-
 lexi) propensionē animi ac voluntatem, vna eademq;
 opera indicare? Quid laudabilius quam conceptam
 animo lætitiā quocummodo exponere? *ἔειπεν γὰρ*
εὐφρασύνην (vt Diræuscygnus cecinit) *ἔσταν αὐτῆν ἀγγελίαν*
πρὸ γλυκίαν ἔσταν. Quid demum iucundius, quam trium-
 phantem Regem (quam mihi iam videor in maximam
 illam, Regalemq; urbem reuertentem, per omnium
 generum, ordinum, atque ætatum læta obsequia inue-
 hi) animo saltem contemplari, faustisq; acclamationi-
 bus profequi? Nā quod Cardinalis illius sapientissimi
 (quem ordinis vestri lumen ac decus eximium esse sci-
 tis Patres: quemq; omnium consiliorum suorum fociū
 atque adiutorem, magnorumq. operum administrum,
 atque *ἀριστὸς* merito esse voluit Rex præclarissimus) ita

11

emicuerit hoc in bello virtus, prudentia, constantia, fides, industria, auctoritas; vt magnam tantæ laudis partem ascribere sibi possit, si velit, video quam vobis id gratum futurum sit audire: nunc etiam ad eius modò mentionem erectos vos, atque hilaratos aspicio. Est quidem in illo tanta, præter cæteras animi dotes, æquanimitas ac modestia, vt nihil ex his rebus gestis, præter vnicam benefactorum conscientiam, sibi referuet: nec quærat ex eo, cuius auspicijs atque arbitratu illius Regni cuncta reguntur, gloria vllam societatem. quippe qui non inanis factus, & phi autiæ ^{diqes, ulu} ab honoribus & dignitatibus petat; sed liberalem tantùm, atque honestam laborandi necessitatem: nec vt vano dumtaxat fulgore oculos pascat, sacram Purpuram assumpserit; sed vt eius colore, de Martyrum vulneribus propagato admonitus, quid militantis Ecclesiæ (cui vitam, ac sanguinem nõ grauate profunderet si opus esset) signiferum deceat, factis, atque exemplo probet. Ceterũ tanto maioribus eũ laudibus à me cumulari oporteret; nisi animus excelsus atque ingens suapte spontè quo latiorum quodam modo laudis vmbra ex se projicit, eo etiam abijceret longius ac magis magisq; despiceret. Sed hæc non huius loci ac temporis sunt: aut potius alium quam ego sim longè maioribus ingenij viribus, atque facundia præditum desiderant. alioquin nec locus iste speciosè magnarum rerum acroamatibus frequentissimè celebratus; nec hi dies quibus huius recētis lætitiæ vocibus, atque vsurpatione gentium hæc domina Vrbs personat, atq; exultat; ab iusta tanti Regis laudatione abhorret. Quin potius dignitas ac frequen-

tia vestra, Præsules Illustrissimi, benigna q̄; volūtas, at-
 que alacritas quam a se me audiendum, atque hanc reci-
 tationem cohonestandam attulistis: denique nobilissi-
 ma hæc Panegyris quam ex lectissimis doctissimis q̄; vi-
 ris collectam video, iustum Panegyricum fortasse re-
 quireret. Sed nec mihi tanto oneri suppetunt vires; nec
 vos ideò conuocati estis. quin potius subuereor, ne
 longius quam oportebat ardore quodam gestientis
 lætitiæ sim prouectus: ac ne me non Poëtam, vt ab ini-
 tio professus sum, sed Oratorem agere velle putetis.
 Quando igitur illustre hoc argumentum, cui nec *mibi*
si lingua centum sint, ora q̄; centum, vt ait ille, suffectura mea
 vox videtur, adscita Musarum ope, conquisitis q̄; e Par-
 nasso verborum ornamentis, eloqui aggredior; Quod
 Regno Galliæ, toti q̄; Christianorum populo felix for-
 tunatum q̄; sit, Regi Christianissimo decorum, & glo-
 riosum; cunctis *philoxeratus* gratum atque acceptum; vo-
 bis denique omnibus lætum ac iucundum: adeste ani-
 mis, auribus q̄; vniuersi. Rem aggressus sum à paucis-
 simis tentatam, à paucioribus etiam cum laude &
 dignitate tractatam. eo q̄; magis mihi veniam tribui
 par est, si minus audaciæ successus responderit. præser-
 tim cum ad difficultatem operis accedat causa tiroci-
 nij, cui multa condonari solere nemo ignorat. Ego &
 illud scio, quod est à Cicerone verissime proditum.
Prima sequentem honestum esse vel in secundis tertijs q̄; consistere.
 quo fidentius genus illud Odarum à S. D. N. felicissi-
 mè excogitatum, atque expolitum, quod Pindaricum
 vulgo vocât, licet rem prescius æstimanti quiddam am-
 plius appareat (in eo si quidem cū Græca facundia ac
 magni-

magniloquentia, Romana castitas grauitasq; elucet; cum Pindari libertate, Flacci venustas miscetur) huiusmodi inquam Poëseos, cuius in Nuptiali carmine crassiora quædã lineaméta duxi, in hoc Victoriali utcumq; speciem expressi. Hunc igitur auctorem, qui humana cuncta infra se despicit; cuius ad altissimum fastigium nihil nisi summæ eius virtutes aspirant: quæ ut insanum est æmulari, sic arduum imitari: pro virum mearũ imbecillitate, timide tamen ac reuerenter, imitandum suscepì. quod ut religiosius facerem, vsus etiam sum versuum *συμπερι*, ab ipso pariter planeq; *ἀποθυσ* adiuuenta: qua nimirum grauisissimam illam atque elegantissimã oden D. Ludouico Gallorum Regi, non imitabili spiritu ac venustate composuit. quæ ut ordine prima est in eo libro, quæ politissimus Barclaius publicauit, ac nouissima trium, si ætatem respicias, ita doctiorum iudicio inter reliquas ferè palmam obtinet. Nemini verò dubium esse poterit, cur eius potissimum modulis ac metro vsus fuerim, qui non ignoret, à quo Ludouicus noster genus ducat: quem ut nomine, ita rerum gestarum gloria, virtutumq; similitudine æmuletur: quotq; qualisq; ob causas idem Rex religiosissimus sanctissimum Urbanum Patrem vocet, atque ut parentem colat & veneretur. Hic verò cum maiorem præterea quã quilibet alius (ut Patrem amantissimum deuit *τὸ εὐχάριστον ἔσται* *ἡμῶν* *ὁ δὲ τῶν ἁγίων ἔσται*) ac propè incredibilem voluptatem ceperit; ex hac eius aduersus Ecc'esiæ insensissimos hostes recenti victoria, tatis cause habiturum meputaui, ut ab eo, qui solus hoc argumentum pro rei dignitate, ac mensura affectus sui tractare posses, tāquam

modos

modos legemq; carminis acciperem: quo item illi plus
 dignitatis ac maiestatis accederet. Sic enim religiosio-
 ra quodā modo, certē augustiora sunt templa, quæ ad
 celeberrimi cuiusq; atque augustissimi exemplar fa-
 bricata sunt, etsi cæteris in partibus ad illorū ornatum
 ac sanctimoniam non respondeant. Quod vero etiam
 crastina die templum ipsum Sanctissimi Regis nomini
 consecratum, solemni gratulantium cœtu, atq; eiusdē
 inprimis Pont. Max. præsentia & maiestate celebrabi-
 tur, nō sine aliquo diuino nutu hunc diem recitationi,
 atque hoc archetypon operi delegisse videor: vt eius
 atque artificis humilitas *ἡ κατὰ τὴν ἐπιεικέτην* Opportunitate
 ac splendore saltem illustretur. Accipite igitur Regis
 gloriosissimi triumphum, quem gigantea tuba, si qua
 vspiam esset, in omnes terrarum tractus spargi ac reso-
 nati par fuerat, ad Pindaricæ olim (si ita vultis) nunc
 Pontificiæ lyræ numeros adaptatum. præstabunt id alij
 fortasse, quorum heroicus spiritus gigantum atque
 heroum gesta, responsuro illorum operibus sono exæ-
 quare potest: nobis suffecerit, si in publico plausu ac
 lætitiā manum, quod dicitur cum alijs mouere, & qua-
 lem cūque vocem emittere hodie conemur. cras enim
 tacitis dumtaxat votis CHRISTI Vicarium ad arā gra-
 tulatorium sacrum obeuntem deuotē prosequemur:
 vobisq; Præfules Illustrissimi, insigni trāsuectione ad
 agendas Deo gratias eodem adeuntes, pedum officiū
 sedulō atque alacriter exhibebimus. Sed quando iam
 vos grato silentio audiendi cupidos ostēdistis, ad lem-
 ma carminis tandem veniamus.

Strophe.



VLCES Melpomene modos,
Doctumq; blanda tēperans carmen lyra;
Pindi virentis nubiferum iugum,
Gratumq; Parnassi nemus
Linque, nam celsum superare dorsum,
Hibernasq; niues te decet Alpium;
Ut diteregnum Liligeri ducis
Visas impigra, & illius
Iucundum alloquium petas:
Qui nunc minaces hostium Britannorum
Cedere classes,
Rupellamq; sibi tandem parere coegit.

Antistrophe.

Neu te detineant caue
Florentis olim, nunc iacentis Græcie
Dilecta sedes, & loca pristini
Decoris orba. Per vices
Cuncta vertuntur: viduata cultus
Antiquo, Danaum squalet inops situs
Laudata tellus Palladis artibus:
Quas nunc præcipue fouet
Pubes Celtica, Ionici
Heres lepòris, Sequanae profundi
Candida potrix;
Mænia qui doctis certantia lambit Athenis.

Epodus :

Saluete castis mœnia

Musis cognita : dulcibus

Cincta vinetis , tenerisq; campis .

Salue feracis Gallia augustum caput :

Pollentis Europæ refulgens

Salue lumen : auitis

Vrbs florens opibus : lata frequentibus

Vndantis populi globis ,

Qui feruidis exastuant plateis .

Strophe II.

Sed Regum laribus sacris ,

Sceptrisq; priscis iure prae-fulgentior ,

Qui bellicosas Francigenum manus ,

Florem trucidis Germania ,

Gallia victis populis opima ,

(Quos diues rerum copia , et otium

Luxusq; segnis fregerat , et toga

Molles Ausonia sinus ,

Sauis fascibus additi)

Admiscuere : gentis ut comate

Pristina virtus ,

Atque decor capitis cum libertate redires .

Antistrophe. II.

Fatorum stabiles vices
Quippe æterna lege spondebant genus
Utroque mistum sanguine, bellicis
Palmis futurum nobile :
Quodq; nec posset grave barbarorum
Vnquam ferre iugum nec scelus impotens
Infecta Petro signa mouentium,
Sacrisq; Italiae focis,
(Altrix Christiadum, et parens
Que blanda fertur Orbis & magistra)
Linquere inultum :
Pipinus docet, & Caroli bello inclita virtus.

Epodus II.

Astulfus hunc sensit minax :
Hunc Desiderius furens.
Vindicem Patris rigidum supremi :
Qui septicolli ora clava fundit vertice.
Erepta quid dicam nefandis
Christi busta Calisis ?
Quid Thracen domitam, & cornua Bospori
Duris casa bipennibus ?
Aulaq; pulsos perfida Tyrannos ?

Strophe III.

*Sed quo Mneniosyne abripis
Vastum per equor lentre subnixum leui?
Palmas auorum, priscasq; me vetat
Evoluere acta Cynthia:
Ambiens sacro mihi pectus cestro,
Venturi ut referem temporis abdita.
O qua Latinis arcibus amula,
Pisosoq; mari tumens,
Ponticlaustra tenes trucis:
Quid seua vinclis Helladem superbis
Usque coërces?
Haud longum Scythico demens dominaberis arcu.*

Antistrophe III.

*En flauæ pharetram DEVS
Iam iam coruscis Gallie implet spiculis,
Queis perduelles cum populos lubet,
Gentesq; subdit impias.
Aere fulgentes equitare turmas
Campis Odrysij rursus, et obuijs.
Depraliantem cerno aquilonibus.
Vicini è Rhodopes iugis,
Quondam decidiam polo,
Splendentis auri flammulam; iubasq;
Triste minantes
Turcarum, et diras Arabum prosterne Lunas.*

Epodus III.

*En aurea ut Byzantijs
Latè lilia turribus
Fulgurant ! veram tueorne formam :
An vana mentem imago ludit credulam ?
At non inanis corda certè
Spes incerta fatigat .
Vates quippe sacri Turcica Regibus
Spondent sceptrà Capetidis,
Ipsisq; carmen barbaris auitum .*

Strophe VI.

*O si carpere adorem
Hanc fata tandem LUDOVICE ve sinant
Possim cruentos , possim utinam in Scythas
Gallos ruentes cernere ,
Maxime ò Regum , duce te feroces .
Non me Pieridum detineat chorus ,
Blandaq; voces , signa micantia
Gressu ne sequar impigro .
Natis fas terere orbitam
Laudis paterne . sic est ipse charum
Sed genitorem
Excipiam , HENRICI felicia signa sequutum*

Antistrophe IV.

*Felix qui potuit loca
Lustrare tecum impressa tot victorijs,
Caluinianus quas peperit tibi
Armis triumphatus furor:
Totq; deuictis populis proterusa
Urbes edomita, quas Aquitania
Glebà feraci diues alit; virum
Mater nobilis acrium:
Et quas aut Rodani rapax
Circum fluentum lambit, aut propinquus
Halitus afflat;
Oppida queq; vetus Bearnum infederat error:*

Epodus IV.

*Non monstra tot leto ferocæ
Heros Ogygius dedit,
Quot repurgasti superis tibiq;
Hydra rebellis, flore primæuo virens,
Turpes latebras, cedat ergo
Ingens Excetricida
Nomen, cum titulis, Herculeum eq; decus:
Cedat. Gallicus Hercules
Vnus vocetur ergo LVDOVICVS.*

Strophe V.

*Illum Musa decens adi,
Blande salutans: obuium se se dabit,
Vitro euocans te. Gallicus Hercules
Musas ut inuitet lubens
Scis probe: & comis facilisq; quam sit
Celtarum soboles magnanimum; quibus
Gens hospitales nulla benignius
Externis referat lares.
Ergo illi placidos age
Fama susurros garrula, nouisq;
Laudis honores
Inclusos numeris regales perfer ad aures.*

Antistrophe V.

*Vt quas igniuomi fragor
Aeris tremendus, claustra quo remugiant
Conuexa mundi (Salmoneus ferox
Hoc vim coruscant fulguris
Fertur, ac telum Iouis emulatus,
Ambusti capitis supplicio horridas
Hausisse penas) & reboantibus
Argutum tuba tympanis
Miscens, assidue imbuit;
Nervis remistum mulceat sonoris
Carmen; acerbis
Quod curas abigat, ferat, & solatia lasso.*

Epodus V.

*Carmen virorum fortium
Duris fessa laboribus
Pectora optat à refouet quiete,
Dulciq₂ laudum corda inundat nectare.
Quod contumax hostis subactus
Olli iure propinat
Haustu largifluo . gloria multiceps
Quippe hanc spargit adorem
Terras per omnes , ora perq₂ vatum .*

Strophe VI.

*Nam quid promtius eloquar ?
Vrbis ne magno militum molimine
Vallata circum mœnia : ut impiger
Venator includit feras
Censibus aensis ? populum ne fœdis
Obsessum dapibus (dum trepidat mori)
Vesci coactum ? dira neccsitas
Pœna sed tamen efferà
Plerosq₂ abripuit nece :
Ne polluendus impio cruore
Gallicus ensis ,
Inuisam superis gentem detruderet Orco .*

Antistrophe VI.

*An verò potior fides
Illæsa semper ? mentis an constantia,
Durare longo tempore pertinax,
Segnes vel aduersus moras ?
Santonum posthac prohibente tractu,
Iactabit leuius fama Numantiam.
At nullus, Heros inchyte, flosculus
Palmam sic decorat tuam,
Vt clementia Regibus
Antiqua Francis. hinc DEVS labantem
Sæpe misertus
Fortunam Regni, clementer fouit et auxit.*

Epodus VI.

*Hac laude nec tecum parem
Ergo se gerere audeat
Vrbis euersor Durio propinque;
Quem castitatis gloria equasti, et fide.
Hostes Iberos vixus ille est
Ferro, atque ignibus: escam
Victis, et veniam tu durare sustines.
Sic ter vincis, amabilem
Victisq; bis das LVDOVICE vitam.*

Strophe VII:

*Quis vasti fluidum maris
Dorsum carinis stipitumq; robore
Exaggeratis edomitum, pati
Et vincla compulsum canat?
Queis rel. Etatus, breuiore quamuis
Disclusus spatium, nexile Perfici
Septum tyranni, Pontus onantibus
Helles fluctibus obruit.
Quamquam is mille phalangibus
Siccaret amnes, compedesq; vecors
Mille pararet
Consisus ratibus Neptuno inferre potenti?*

Antistrophe VII.

*Mox illi, stolidè ferox,
Quod vincula excussisset, incussit flagra
Risere ponti numina barbarum
Xerxis furorem, tristibus
Cladis exemplis miserè piandum.
Testatur Salamis sanguine Medico
Late rubescens, & Lacedæmonis
Ingens Thermopylæ decus.
At quid religio, et pius
Duum metus non efficax? tumentis
Claustra profundi
Tu premis, Oceaniq; minas compestis et æstus.*

Epodus. VII.

*Fas nempe, cui caelestium
Agmen militat orbium,
Huic procellosi vada salsa ponti
Parere semper. quid proteruis fluctibus
Rupella fidis? astuantem
Phœbes lampade Tethyn,
Et quaecumque salum sidera commouent,
Incassum auxilio expetis:
Frustra remotos aduocas Britannos.*

Strophe VIII.

*Gens Neptunicola arduis
Quae puppibus proscindit undosum mare;
Gens aestuoso dissitata litore
Latisq; turgens messibus;
Non magis septi penetrabile portus
Perrumpens ratibus veliuolis, opem
Gratasq; fruges mœnibus inferet,
Quam rostris queat ereis
Isthmum rumpere Achaicum.
Fatale nomen ergo fastuosus
Scilicet Anglis,
Rupellaq; timens, LVDOVICUM agnosce potentē,*

Antistrophe VIII.

*Quæ demèntia, quis furor .
Gens iuris expers, hostibus protendere
Dextras amicas cogit atrocibus ?
Ut plura vestrum scilicet
Spicula in Regem, patriosq; fines
Librata immineant : ò scelus ! ò pudor !
Ne quos procacis prava licentia
Torquet cura, salubrium
Legum frana cœrceant .
Calvinianæ pestis ab nefanda
Ulceræ, Regum
Agnosco heu semper sceptris inimica verendis .*

Epodus VIII.

*Regale sceptrum Francicum
Sed conuellere quis queat ?
Nam nec insanas metuit procellas ;
Nec turbines Cocytios : radicibus
Quippe hæret altis ; insitumq;
Heroum superum manus,
Crebris cum viridi daphnide surculis
Palmæ non fragilis viret ;
Frangiq; nescit, flectiturq; tantum ,*

Strophe IX.

*Tu vero amula peruicax
Cælo placentis Gallie Britannia,
Vesaniensis pone superbia.
Tandem ferocem spiritum
Non dolos, non vim minitantis hostis
HENRICI soboles magnanimi pauet:
Nec blandienti deditus otio,
Luxuq; Assyrio putris,
Curis torpet inertibus:
Sed bellicosà strenuus iuuentà,
Primus ad arma
Profilit, aduersas acies atque increpat ultro.*

Antistrophe IX.

*Quòd si tantus inastuat
Vestris cruoris ardor in præcordijs;
Piscosi Tamesis margine ab extimo,
Ad fabulosas Orcadas,
Dissonas gentes, gelidæq; quotquot
Iuerna latebras frondiferas colunt,
Curuo refundat litore Santorum,
Seu mauult Morinùm plagà,
Dives nauibus Albion.
Vt discat, haud impune, læta quantum
Gallica pubes
Rege sub iniucto violentis fulminet armis.*

Epodus . IX.

*Asi Agesinnis insula
Prætentæ edocuit satis
Reia : quam vastis Britonum carinis ,
Densas cohortes undiq; euomentibus ,
Per vim petitam , mox cruentâ
Nereus eade natantem
Vidit ; Francigenum flos equitum suis
Certatim socijs opem
Dum fert per undas , obuiosq; fundit .*

Strophe X.

*Tum Villarius impotens
Spectans acervos civium occumbentium ,
Fortesq; Gallos præcipiti impetu
Desautes : horridis
Manali in siluis alacres Molossi
Ut pressim exagitant horripilos suos ;
Nec pigra tardant stagna , nec asperis
Lustra imperuia sentibus :
Non vis , non animus ferox
Desunt Britannis , inquit : at superna
Fata repugnant ,
Ut video , & nostris Superi conatibus obstant :*

Antistrophe X.

Ex quo Gallia diffusus
Collegit artus, & Burgundia occidit
Stirps emulatrix, alius in dies
Succreuit, extollens caput;
Gentis at nostræ penitus recisa
Spes arescit enim. Borbonius potens
Quid non minaci perficiet manus,
Fratris dextera Martij
Cui fida obsequitur comes:
Quam purpurati lux senatus, acri
Mente coruscans,
Consilio regit Armandus curâq; fideli?

Epodus X.

Non pectoris constantia,
Non dulce eloquium viro
Suppetit parcé. Sociata virtus,
Rupella, Achillis Nestorisq; Pergamæ
Strauit. quid ultra Saxonum carinis
Pugnas freta? pudendum
Quæ debent iterum ludibrium mari;
Regi tu decus inclytum,
Ingens Latino gaudiumq; Patri,

F I N I S.

Ad S. D. N. V. R. B. A. N. V. M. V. I. I. I.
Pont. Max.

O qui supremum magnis virtutibus aequas
Imperium, & docti laudibus ingenij,
Audax Thebani per quem facundia vatis
Cultior Ausonia iam gravitate fluit:
Suscipe nostra libens dilecti encomia Regis;
Rite tua numeris emodulata lyra:
Vtrique infestum nuper qui contudit hostem;
Santonico referens bina trophæa mari.
Et merito hinc sumens iniuncta premia dextra.
Submisit genibus laurea ferta tuis.
Iungeret ut binos Phœbea frondis honores,
Quiq; illi proprius, quiq; perinde tibi est.
En utriusque igitur fecundo crevit odore
Carmen, quod sacros ponimus ante pedes.



Ad Illustriss. Card de Richelieu .

Magnanimi Regis fidissime consiliator .
Palladis armiferae , paciferaq; potens ;
Tis Sophiae studijs , tuis rebus natus agendis ,
Fortunam tantis laudibus exsuperas .
Sospice te fraudes insense gentis , et hostis
Asterius temnit Gallia tuta minas :
Gallia quae multum tibi se delere fatetur ,
Quod fama ; & porro charta loquetur anus :
Venturis memorans saeculis , Armande , rebellem
Consilij Rupem procubuisse tuis .
Perpetuam nuper legit Rex unde coronam ,
Virtutum varijs floribus implicitam .
Ambrosia succos cui large asperisit Apollo ;
Caesifer ut datum tingeret oraliquor .

Ad Eundem .

Scipiadae magno facundi copia Leli ,
Casibus et dubijs saepe probata fides :
Et rerum diues sapientia profuit ; armis
Non minus ac prestans militibusq; phalanx
Qua Tyriae validas Caribaginis eruit arces ;
Atque Namantino claruit excidio .
Sic tibi Rex Armande minus non imputat hostem
Denictum , Armatas quam gladyssq; suis .

Ad Fr. Ludouicum Donium
Electum Episc. Reiensem.

O mihi dilectos inter numerande propinquos
Sanguine, & antiqui iure sodalitiij :
Salve regali Ludouici nomine fulgens,
Dulce quod in nostro saepius ore sonat.
Ex quo carminibus lux mutua sumta decusq; est,
Qua tibi trans Alpeis mittimus aerias.
Namq; his Santonicos ausi celebrare triumphos,
Atque immissa mari dicere vincla sumus.
Rupellamq; feram sauire in fœda coactam
Viscera, disiectas Angligenumq; rates;
Cum tibi Reiensis delata est insula; quamuis
Præferres sacra commoda militiæ.
O mihi tum letus cum nuntius impulit aures.
Insedere animo gaudia quanta meo!
Felix ille tuus sit semper auunculus ergo,
Per quem promeritus iam tibi venit honor:
Gallica & in multos dixi custodiat annos
Signa, Marilliaca gloria magna domus.

F I N I S.

Pindari Ode Olympiaca V.
Psaumidi Camarinensi.

Strophe.

*Vibrator excelsissime
Irrequieti fulminis,
Huc tuis, Iuppiter, adsum
Præstinatus ab Horis,
Quæ cum multiplici sono
Citharæ vocalis in orbem
Remeant; testis ut ordiar canorus
Conspicuas celebrare pugnas:
Nam bonos iuuat, secunda
Vt cunque res exhilarant amicos,
Gestire faustis illico nuntijs.
At ò Saturnie, niuosam qui colis Aetnam,
Typhonis validi colla grauantem,
Cui centum capita horrida surgunt;
Pulchris amicam Gratijs
Latam puluere Olympico;
Suscipe hanc choream lubens.*



Antistrophe .

Virtutis inuicta iubar
Grande futuram perdis ;
Psaumidis nam venit altis
Rite curribus extans ;
Qui nunc tempora nobili
Redimitus fronde Pisaa ,
Properat te Camarina gloriosus
Eximiè decorare palmis .
Sic tuis precor benignos
Votis Deos experiare Psaumi :
Quem feruidorum cornipedum greges ,
Sub excelsis alere tectis , hospitijq
Sumptu munifico iura colentem ,
Alma prædico pacis Alumnus .
Non oblinam mendacij
Fuco verba : periculum
Quippe res hominum probat .



Epodus .

Quod grauem pepulit notam
Lemniadum puellarum
Clymeni natum prementem :
Aereis onustus armis
Nam leuia per vestigia
Adoream cursu persequens,
Promeritam adseruit sibi .
Palmamque poscens nobilem
Hæc dicere est adortus ,
Hypsipylum coram intuens :
Scilicet ille ego sum ;
Sed manuum viuida vis
Animique presentia ,
Pedum celeritudinem
Aequant , vel antecellunt .
Sedenim iuuenta praecequos
Est ut canos sæpe citet ,
Quamuis tempore non suo .

